scripto de eadem: et tamen certum est quod mentita est. Laudatur
etiam Iacobi secundo Raab meretrix: in susceptione hospitum
exploratorum Iosue: et tamen mentita est, sed veniabiliter, ut
patet in libro Iosue. Obstetrices etiam in libro Exodi
remunerate sunt a Deo ob liberationem infantium Israel:
et tamen mentite sunt. Laudatur insuper Constantinus
Imperator in historia tripartita libro primo, quod ut
discerneret veros christianos a falsis, dixit se velle
retinere in sua curia omnes qui fidem Christi abnega//
rent, alios autem qui non vellent abnegare se
abiecturum a consortio curie sue: tunc vero deprehendit
aliquos, qui fidem Christi abnegabant, alios autem
constantes manere in fide, malentes eici a curia sua
quam a Christi fide. Tunc autem ille vir loquendi versa,
protulit se vere agnoscere illos quibus non esset
fidendum: dicens illis, qui fidem Christi abnegaverant
quod fideles esse non poterant homini regi seu Imperatori,
qui fidem Deo negaverant. Et de hoc memorabili facto
illos qui pretulerant curie sue exilium negationi
fidei, recepit cum magno honore et commendatione, alios
vero expulit a curia sua tanquam non futuros sibi fideles
qui Christum reliquissent.

Tertium dictum. Est evidens quod mendacium non
impedit quin informatio seu inquisitio ad deprehendendum
malefactores in quocumque crimine: sive fiat per iudicem
interrogando ac miscendo mendacia pro subtili indagine,
aut ad subtiliter experiendum malefactorem certo loco,
sive fiat per clericos commissos, mentientes grassatoribus
se esse socios in simili specie criminis, vel amicos, ut
possint ab eis verba vel facta cognoscenda extorquere,